

Relinqueretur igitur inter solum Filium & Spiritum sanctum quaedam quasi solitudo & hiatus, si nulla personalis inter τὸ λόγος & Spiritus sanctus ἁγίος interveniret relatio. Quale διάστημα sive qualem hiatus absolutam illam ac infinitam Trinitatis perfectio nullo modo admittit.

65. VI 1. Et quid sibi volunt aliam assertionem illam Servatoris dicentis Ioh. 16, 13. Non loquetur à semetipso, sed quaecunque audierit, loquetur &c. Item vers. 14. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, Omnia quaecunque habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quòd de meo accipiet &c. quàm Spiritum sanctum à Filio quoque procedere?

66. Quòd si enim Spiritus sanctus suam sapientiam & scientiam, cuius vi docere Apostolos & futura prædicere potest, accepit à Christo: Et verò nihil in tempore demùm is accipere potuit Ies. 40, 13, 14. necessariū fuerit consequens, Spiritum sanctum ab æterno accepisse hoc à Filio.

67. Si ab æterno: utique κοινωνία ἁγία per Processionem acceperit, necesse est: nullus enim alius accipiendi modus in æterna Trinitatis κοινωνία Spiritui sancto competit.

68. Insuper quia scientia Spiritus sancti, quam accepit à Filio, non est aliquis habitus accidentarius: Sed aliud nihil, quàm divina eius Essentia, cum quâ etiam simplicissimè convertitur:

tur: